

1570 ret, neque tantum Venetæ, sed totius christianæ reipublicæ causa ageretur, de Selymi Cypria expeditione suscepta, de maritimis, terrestribusque apparatibus, de Reipublicæ egregia pro imperio tutando voluntate, ac studio certiores christianos Principes facere visum est. Itaque Senatus Michaeli Suriano, apud Pontificem Maximum oratori, mandat, eidem significet: *Selymum arma terra marique comparare; reliquis sepositis curis, in Cypriam tantum expeditionem incumbere, quæ licet adversus Venetos instruatur, in ea tamen de universa christiana reipublica procul dubio agi.* Quanta Turcarum viribus ex illius insulæ adjectione accessurum sit, quæ amplitudine, divitiis, incolarum frequentia, ac situ præsertim mirum in modum excellet, ex qua in Syriam, atque in Iudeam facilis trajectus Christianis olim patuerit? His ingruentibus periculis obviam ire, atque teterrimis christiani nominis hostibus obsistere, ad illum in primis spectare, qui Christi Servatoris vices in terris gereret; cuius religio, & cultus ab impuris hominibus in discrimen vocaretur: confidere Venetos eamdem in se Sedem Apostolicam experturos, quam in se ipsam difficillimis temporibus Apostolica Sedes Rempublicam experta sit: pietatem Summi Pontificis, ingens conservandæ, ac propagandæ religionis studium nosse; sperare principem, & caput tantæ rei futurum: proinde auxilia ad immensum hoc belli pondus sustinendum exposcere, ut saluberrimo exemplo reliqui Principes incitati cunctis viribus adversus accerrimum hostem pro christiana republica pro Dei Optimi Maximi gloria consurgerent, sociaque arma jungerent. Erat in Pio eximus religionis ardor, ut ceterarum rerum oblitus, singulari pietate pro christiana republica excubans, nihil prætermissurus videatur, quo immanium hostium conatus retunderet, Venetorumque causam tueretur. Itaque Suriano respondet: *Nihil sibi antiquius esse, quam ut Venetis, quorum præclara in Apostolicam Sedem merita nota sint, difficillimo hoc atque periculo bello optuletur: cognoscere, si præpotens atque effera gens quidquam illis detrimenti intulisset, ejusdem mali labem ad reliquos quoque Principes, atque adeo universam christianam rempublicam peruersaram.* Verum ut ea, quæ mente agitaret, quemadmodum vellet, perficeret, vereri; cum præcipue quam infaustos exitus foedera superioribus annis cum Paulo tertio Summo Pontifice, ac Carolo V.

Im-

*Senatus de-  
cerero de bel-  
lo Turcico  
Christianæ  
Principes  
certiores  
facti.*

*Senatus  
mandata  
ad Michaeli-  
lem Suria-  
num, orato-  
rem ad Pô-  
tificem.*

*Pis Ponti-  
ficiis ad Su-  
rianum re-  
sponsam.*